

lianus); vel si cui brachium teneatur ne adversario suo verbera intenta inferre possit, brachium tum devenire paralyticum &c: ita quoque meus casus erat comparatus; En illum. Per quinque circiter annos Sol aulicus mihi fere continuo licet extraneo affulserat. Vix nubeculae quaedam invidentium eum impediverant. Omnibus studia mea erant probata, cum circa Epocham istam fatalem, ubi de reimprimendo Tom: I op: Regenfusiani agebatur, clandestino modo atra nubes totum coelum aulicum respectu mei obducebat. Quoniam iste Minister aulicus, qui penes Regem esse solet, Tutorem istius operis agit, quisque fere aulicus suas cogitationes ipsi aperiebat de isto opere. Cum illud primo prodierat, omnia erant optima. Successive de versione gallica crises audiebantur. Huic illa videbatur quasi stilo Fontenelliano conscripta. Illis vero barbarus stilus idem videbatur. Horum voto praevalente primum decernebatur, nova ut fieri deberet versio gallica. Hac occasione etiam illi insurgebant, qui mihi tanquam extraneo invadebant, me unicum (tum saltem temporis) hic fuisse, qui textum huic operi convenientem conscribere potuerit. Cum errores nullos carpere poterant, multo minus stilum germanicum, ut antea Gallicum, reflexiones meas jocoserias passim interspersas, ad aridas descriptiones testarum temperandas, aggrediebantur, easque pro vano genio gallico praedicabant, adeoque eliminandas. Paucis: Tutor operis, cui otium nullum est singula perlustrandi suis oculis, demum defatigabatur, et, ne ego excitarer, secretus dabatur jussus, ut in nova impressione tornator aulicus nom: Spenglerus curaret descriptionem conchyliorum, quia hunc, tanquam possessorem egregiae collectionis testaceorum, ad illud negotium idoneum fore judicabant. Sacerdoti vero aulico, Cramero, demandabatur cura stili purificandi illiterati tornatoris, et novae introductionis conscribendae. Huic Sacerdoti, rerum naturalium plane ignaro, tradebantur omnia scripta conchyliologica, ut intra 6 hebdomades ingentem illam sibi cognitionem inde compararet, in qua Tu acquirenda ultra 30 annos laborasti, et ego intra 16 annos vix ejus elementa didicisse mihi videor. Hisce 6 hebdomadibus finitis conscribebatur feliciter magna nova introductio,